

CAPVT II.

QVVD SIT CORPVVS SPIRI-
*tuale, in Exemplis quodammodo
 delineare.*

CVM non possit rectius demonstrari, an res sit, quam per
 intuitiuam notitiam & experientiam, ideo hoc loco
 afferemus ex sacris exempla nonnulla, quæ quid *Paulus* hisce
 vocibus in sua ad Corinthios Epistola velit, nobis in initio
 ponat ob oculos. Agit autem, vt constat, Apostolus dicto lo-
 co, de resurgentibus ad vitam æternam. Vnde sequitur, quod
 his vocibus non designetur affectio, quam patitur Corpus
 hominis in his terris, quam diu naturæ legibus & mortalitatis
 statui subiectum est: sed quod describatur ipse Beatitudinis
 cœlestis ornatus, quo induentur beati post hanc vitam tem-
 poralem, quando virtute Dei è morte resuscitabuntur ad vi-
 tam æternam. Ad vitam æternam dico, quia discernendi hîc
 sunt vt Resuscitati, ita & Resuscitandi. Resuscitandos quod
 attinet, alii resuscitabuntur ad damnationem, de quib. hisce ver-
 bis *Paulus* non agit; Alii vero ad æternam salutem, de quib. po-
 tissimum agit *Apostolus*. Resuscitados quod attinet, sunt &
 illi quoque in duplicia differentia. Quidam enim Resusci-
 tati sunt ex morte ad hanc vitam terrestrem: Quidam verò
 ad vitam æternam. Prioris generis sunt, in veteri Testamen-
 to, *Filius Sareptanæ viduæ* ab *Elia* resuscitatus, 1. Reg. 17. v. 22.
Sunamitidis filius ab *Elisæo* 2. Reg. 4. v. 35. Cadauer contactu ossium
Elisæi renuiscens 2. Reg. 13. v. 21. His qui volet, addat *Ossa arida*